

Pugnemus ergo, charissimi, strenue ut David, quo cum ipso triumphemus. Illi occurrerunt mulieres ex universis urbibus epinicia accinentes. Obtena ergo victoria, obviabit et nobis chorus sanctorum de caelo, victoriale carmen accinens, etc.

CONCIO II.

DEFECTUS POENITENTIAE.

I. Contritionis regula. — II. Confessionis regula, et examen conscientiae generale juxta omnia praecipua. — III. Satisfactionis regula.

THEMA.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemone habes? Joan. VIII.

Difficilem sane thesin proponit hodie Christus ante passionem suam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Voluit enim innocentissimus agnus priusquam immolaretur, hoc examine probare se absque macula esse (id quod praecipitur de agno, Levit. XXII.) ne postea dici vel existimari posset, propter scelus aliquod passus esse. Sed voluit praeterea thesin hanc proponere, ut nos quoque animaret, ad eandem defendendam; defendendam, inquam, non tantum in mortis articulo, sed et in accessu ad ss. eucharistiam. Hoc enim est, quod inquit S. Paulus, I. Corinth. XI. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* « Ecclesiastica autem consuetudo declarat, (inquit Concil. Trid. de sac. eucha.) eam probationem necessariam esse ut nullus sibi conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat. » Sacramentalis itaque confessio regula est et Lydius lapis, ad quem probari quisque debet, num sine peccato sit, et sic de pane illo edat. Verum quia confessio illa compartes duas requirit, contritionem et satisfactionem, quae sunt tres poenitentiae partes; singulis singulae assignari possunt regulae, et videntur assignatae a Sapiente, Sap. cap. XI. qui ubi dixisset potuisse Deum reprobos facillime occidere spiritu virtutis suae, subjungit: *Sed omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* Quibus verbis, ordine quo posita sunt, tres poenitentiae partes, apte significatur contritio per mensuram, confessio per numerum, per pondus satisfactio. Qui ergo digne vult accedere ad sacram communionem, triplex hoc examen (si tamen prius peccavit) necessario subibit, ut dicere et ipse possit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Deusne, an homo, an propria con-

scientia? Haec illa pedum lotio est quam sacrae communioni praemisit in cena Dominus. Sed quemadmodum ibi, licet omnes loti sint, non omnes tamen mundati sunt; ita vereor et hic, ne reperiantur aliqui Judaei similes, loti sed non abluti, quibus dici possit: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemone habes?* Videamus proinde et applicemus has mensuras, subeamus examen.

Quemadmodum in commerciis facile contingit, ut qui mensura, pondere, ulna alioqui justa utitur, injuste tamen utatur et usu ipso fraudet, ita fit et in spiritualibus. Contritio, confessio, satisfactio, justissimae sunt regulae, si recte his utaris ad acquirendam gratiam. Sin minus, mirum sane non est, si dum fraudem facis, fraudem patiaris et deterior abscedas quam ad sacramentum accesseris. Ejusmodi erant Samaritani, qui propterea ignobiles et abjecti erant, quod semijudaei essent, hoc est, legem quidem Judaicam observarent, sed non recte, ut vult Euthymius et alii, seu quod eam adulterarent, ut Origenes. Quare sicut Judaei Christum appellabant Samaritanum, quod sabbatum violare et manibus illotis manducare similiaque contra legis rigorem facere ipsis videretur; sic possem et ego (sed vere) appellare eos, qui praecipuum hujus temporis de sacramentali confessione observant quidem, sed non recte.

I. Contritio ad mensuram examinanda est. Primo, ut pro mole peccatorum tuorum metiaris contritionem tuam. Implevisti congiuum tuis inquitatibus? Tantumdem lacrymarum funde, si non ex oculis, saltem ex corde tuo. Implevisti amphoram? Cura ut tantum fleas, quantum amphorae replendae sufficeret. Ita enim de synagoga peccatrice, ait Isai. cap. XXVII. *In mensura contra mensuram judicabis eam.* Synagogam intelligit pro ratione delicti puniendam. Accedit S. Cyprianus, in sermone de lapsis, qui in persecutione metu tormentorum Christum ore negarunt, sic scribens: « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulnere diligens et longa medicina non desit, poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti; cui patri monium praepone maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adherere cineri, in cilicio volutari et sordibus, etc. » Haec Sanctus Cyprianus. Quam multi vero sunt, qui longe graviora nunc admit-

tant scelera, quam fuerit illorum Christianorum negatio, ore non corde facta? At ubi in illis quaeso similis contritio? Ubi lacrymae? Ubi gemitus et singultus? Et licet haec externa non sint necessaria, debet tamen animus in confessione ita esse compositus, ut serium proferat dolorem. Sane D. Gregorius Nazianzen. orat. I. de bapt. dixit: *Recipio poenitentes, si lacrymis rigatos videro.* At si ante confessionem rideas, fabuleris, circumspicias, genua non flectas, mentem non componas, sed urgeas accessum, in ipsa confessione recites peccata tua, quasi fabulam aut historiam narres, sine omni cordis suspirio, festines ad discessum quasi furari absolutionem et statim aufugere velis, peracta denique confessione mox e templo te proripias: *Nonne bene dico quia tu Samaritanus es, et daemone adhuc habes?*

Secundo, ut vas cordis tui impleas lacrymis, et si fieri potest, usque ad summum, quo modo illi ministri jussi haurire aquam, impleverunt hydrias usque ad summum in nuptiis Canaë, Joan. II. Dolent aliqui de peccatis, quia ignominiam vel aliud temporale damnum peccando incurrerunt, et hi in terra repunt et quasi nihil infundunt. Dolent alii, quia gehennae addici, et caelo excludi metuunt; et hi accedente confessione mensuram attingunt, sed non infundunt usque ad summum, quia magis amore sui quam amore Dei offensi dolent de peccatis. Illi denique usque ad summum implent vasculum cordis sui, quorum dolor et lacrymae ascendunt usque ad Deum, quia scilicet eum tamquam super omnia diligendum et colendum, peccatis suis offenderunt. At vero jam si tu de illis peccatis doleas, quae tibi ignominiam vel multam pecuniarum aut graviores penas attulerunt, vel afferre possunt, eaque in posterum sedulo caveas, de aliis vero non doleas neque ea valde cures: *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et naturalem tantum dolorem habeas ex proprio amore natum?* Si quae proximum solum laedunt, peccata defleas et vites, non quae Deum laedunt: *Nonne bene dico, quia Samaritanus es?* Si extra constitutum tempus nunquam confitearis, nisi forte in periculo mortis, *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et gehennae metu, non amore Dei offensi vocas confessarium, non tam poenitens, quam poenitentia ductus, uti Judas, sicut ait Matthaeus, c. XXVII.*

Tertio, ut non vino aut alio liquore, si saporem vasi communicet, sed aquis et lacrymis compenses tua peccata, juxta id Thren. II. *Effunde sicut aquam cor tuum, q. d. effunde in peccata tua lacrymas, quae sint aqua, non oleum,*

non vinum, ita ut odor et affectus peccati admissi non remaneat in corde. At vero si quis post confessionem redit mox ad priora peccata; *Nonne bene dico, quia Samaritanus es, et propositum non habuit se emendandi?*

II. Confessio ad numerum expendenda est. Audimus enim Job, cap. XIV. dicentem: *Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis meis. Signasti quasi in saeculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* q. d. sicut pecunia in sacculo reposita solet obsignari sigillo, ne quid inde dematur; ita tu in memoria tua enumerasti et obsignasti peccata mea, ut ne unum quidem obliviscaris. Et quia non nisi per confessionem haec deleri debita possunt (quam Deus pro solutione accipit) si non enumeres omnia, saltem quae enumerare potes adhibita diligentia, nequaquam te liberabis; quia non reddis quod debes. Joseph audiens a decem fratribus suis, superesse undecimum fratrem, noluit acquiescere, donec et ipsum sisterent; *Alioquin, inquit, per salutem Pharaonis exploratores estis, Gen. XLII.* Similiter et Deus, quia numerum peccatorum tuorum signatum et perspectum habet, vult ut nihil ei abscondas in confessione (saltem quod grave peccatum et tuo iudicio mortale sit) sed omnia recenseas, habiturus alioquin te pro sycophanta et impostore, qui decipere Deum velis.

Itaque primo, ante confessionem, diligenter examina conscientiam tuam, pereurendo decem praecipua, vel priora tantum octo, ad quae omnia peccata reduci possunt, id quod tibi nunc monstrabo.

Circa primum praecipuum delinquitur. Primo contra fidem, idololatria, haeresi, dubietate in rebus fidei, curiosa disquisitione earundem, ignorantia rerum scitu et creditu necessariarum, librorum vetitorum retentione aut lectione, fidei abnegatione vel omissione ejus confessionis, cum est opus, superstitionibus, divinationibus, pacto cum daemone, somniorum observatione vel astrorum.

Secundo contra spem, desperatione de salute vel remissione peccatorum, praesumptione de utraque, dilatione poenitentiae culpabili, diffidentia de Dei providentia vel auxilio in necessitatibus vel exauditione orationum, murmuratione contra Deum ejusque ordinationes, tempestates, etc. confidendo magis in creaturis vel mediis superstitionibus. Item tentando Deum.

Tertio contra charitatem, nimio affectu erga creaturas, nimia distractione ad saecularia, oblivione Dei, servitio Dei servili, mercenario vel tædioso, diuturna orationis omissione.

Quarto contra humilitatem, si quis sibi adscri-

bat, quæ Deo debet, si vane gloriatur de donis Dei, si gratias non agat, si arroget sibi, quod non habet. Item superbia animi, vestium ambitione, contemptu proximi, jaectantia, contemptu correctionis, disciplinæ vel instructionis, defensione suorum errorum, elatione ob prosperitatem, etc. gloriatione de peccatis.

Circa secundum præceptum. Primo peccatur juramento temerario, non necessario vel irreverenti perjurio, promissione rei malæ, aut sine intentione adimplendi promissum, aut promissa bona non servando.

Secundo blasphemia in Deum aut sanctos, tribuendo eis quæ non decent; beneficia Dei, passionem, vulnera, sacramenta execrando.

Tertio votorum fractionem; vel petendo sine causa dispensationem; vel dolendo quod bonum aliquod voverit, vel abjurando bona opera.

Quarto abusu sacræ Scripturæ ad jocos, res profanas, vel defensionem suorum peccatorum; concionum explosione, vel sinistra interpretatione.

Circa tertium præceptum. Peccatur primo festorum violatione, cum quis per se, vel suos operatur serviliter, vel res prohibitas ab Ecclesia ut judicia vel mercantias exercet; vel consumit festa actionibus pravis, lusu, comotatione, garrulitate, etc.

Secundo non audiendo missam integram, vel cum voluntaria distractione sine reverentia, etc. detinendo alios a missa, negligendo diu concionem, non confitendo et communicando in paschate, vel gravi ægitudine, aut urgente necessitate; vel non debite hæc et alia sacramenta suscipiendo. Negligenti omissione confirmationis, extremæ unctionis, etc.

Tertio juniorum violatione et abstinentiarum, præsertim coram hæreticis, vel familiam et liberos vetitis cibis alendo.

Quarto violatione et profanatione rerum sacrarum templi, cæmeterii, reliquiarum, etc. Cæremoniarum irrisione. Item personarum, ut clericorum percussione, vel contemptu, etc. Vel exactione tributorum, aut vectigalium, contemptu sacramentorum vel censurarum, etc.

Circa quartum præceptum. Peccatur primo contra parentes carnales per irreverentiam; si obloquaris, aut absentibus detrahas, male impreceris, fureris, verbera infligas, etc. Per inobedientiam; si in debitis rebus non pareas, vel illibenter, aut resistas reprehendentibus.

Per odium aut neglectum; si mortem eorum optas, si non alas cum potes, non consoleris afflictos, mortuos non juves, aut eorum voluntati et testamento non satisfacias: si ames contra Deum; vel eorum te pudeat.

Secundo contra superiores et parentes spirituales obloquendo, detrahendo, præcepta eorum contemnendo, debita eis non reddendo, ut tributa, vectigalia, decimas. De confessariis suis male loquendo.

Tertio contra liberos et subditos a parentibus et superioribus; si nimis blande liberos, vel nimis aspere subditos tractent, non instruant, non corrigant, non juvent in necessitatibus; si scandalo eis sint, si eorum opera ad malum utantur, si eos ad loca hæretica mittant; vel respondeant, vel nolentes ad certum statum cogant.

Quarto contra personas veneratione dignas, uti senes, vel presbyteros, vel in religione aut dignitate constitutas, vel benefactores; si erga eos irreverentia aut ingratitude committatur, item erga tutores, præceptores.

Contra quintum præceptum. Peccatur, primo homicidio, mutilatione, percussione injusta, abortus vel sterilitatis procuratione, infantum suffocatione, bello injusto, vindictæ sumptione, rixis, litibus, iniqua accusatione; vel condemnatione, vel neglectione infirmi aut aliter periclitantis.

Secundo odio et iracundia atque invidia. Huc pertinet non remittere injuriam deprecanti, non deprecari offensam, verbis injuriosis agere, detrahere, imprecari mala, irridere, contemnere, male agnominare, pudefacere, temere judicare, objurgare, gaudere de aliorum malo, tristari de bono, defectus exprobrare.

Tertio scandalo, mandato, consilio alteri nocere, vel causare nocumenta, vel approbare peccata, vel non impedire, vel non juvare operibus misericordiæ indigentes cum possis ac debeas.

Quarto odio sui ipsius. Eo refer vitam propriam adimere velle vel abbreviare; gula et ebrietate sibi obesse, vitam periculis objicere, temere propriam famam denigrare, vel negligere, cum in aliorum scandalum vergit. Impatientem esse et nihil pati velle; mortem sibi imprecari.

Contra sextum præceptum. Peccatur, primo cogitatione, concupiscentia et desiderio libidinis, cogitatione morosa, carnis prava excitatione, et repressionis omissione, occasionum malarum aditu.

Secundo verbo et quinque sensuum usu malo. Ut turpibus colloquiis, cantilenis, suscitatione, internuntiis, litteris amatoris; aspectu earum rerum quæ alliciunt; auditu turpium; gustu, cum eduntur aut bibuntur provocantia libidinem ex intentione; tactu sui vel aliorum libidinoso, osculis, ornatu, etc. in ordine scilicet ad libidinem.

Tertio opere ipso, in variis speciebus, fornicatione simplici, stupro, adulterio, incestu, sacrilegio, sodomia, bestialitate, mollitie vel pollutione.

Quarto in conjugio non reddendo debitum, pravo usu circa modum et circumstantias, locum, tempus; provocatione pollutionis; inordinato amore inter se vel odio, pugna, etc.

Circa septimum præceptum peccatur. Primo inordinata habendi cupiditate, sollicitudine, tenacitate et amore pecuniæ. Huc pertinet aliena quærere, sua non largiri vel mutuo dare constitutis in necessitate cum possis.

Secundo verbis, mendaciis in judicio et extra ad damnum proximi; in contractibus quibuscumque; infamatione sui vel aliorum; mendacio quocumque, sed maxime pernicioso.

Tertio opere, furto, fraude, usuris, simonia, sacrilegio, decimarum abstractione, inventorum retentione cum dominus sciri potest, mercedis operariorum detentione, laboris pro mercede defraudatione, restitutionis debitorum negligenti omissione, fraudulento lusu, mendicatione extra necessitatem, usu monetæ adulterinæ, participatione cum furtis.

Quarto prodigalitate in conviviis, vestibus, lusibus aliisque expensis inutilibus, maxime si fiant aliorum bonis mutuatis, vel male quæsitis; item prodigalitate temporis.

Circa octavum præceptum. Peccat, primo qui temere alios judicat, vel male de iis suspicatur absque sufficienti causa, res eorum male interpretando.

Secundo verbo, qui falsum contra proximum dicit testimonium, patrocinator falsitatis, supprimit veritatem.

Tertio dolis et fictionibus, quæ tendunt ad decipiendum proximum, hypocrisi, adulatione, etc. Deinde post sedulam discussionem diligenter ea notanda sunt, in quibus deliquisti, et memorie commendanda ut integre confitearis.

Demum addendæ etiam circumstantiæ, maxime quæ peccati speciem mutant, vel id valde aggravant. Eæ vero sunt.

Primo persona peccans, clericus an laicus, solutus an liber, prælatus an subditus.

Secundo item persona offensa, non tamen nomen exprimentum.

Tertio quantitas damni illati.

Quarto qualitas seu modus quoad intensiorem, vehementiam, etc. in rebus odii.

Quinto tempus, an in die solemni, vel jejuniis.

Sexto duratio, quamdiu in peccato perseveravit.

Septimo locus, sacerne an profanus; coram venerabili ss. sub sacrone, etc.

Octavo numerus quoties factum sit.

Nono finis seu intentio, an in ordine ad detrahendum vel nocendum, etc.

Decimo scandalum concurrens.

Postquam ergo vidisti, quibus et quot modis delinquere homo possit, si tu e tanto peccatorum catalogo non invenias materiam teipsum accusandi, *Nonne bene dico*, quia vel sanctus es, vel *Samaritanus* es, et subdole legis peccata tua? Nam si in sæculo degas, quomodo intra annum vel semestre, aut etiam intra mensem non colligis sordes aliquas? Fierine potest ut qui caminos purgant, nigredinis nihil contrahant? Aut miles qui pluribus interest præliis, vulnus nullum accipiat? At quam multi sunt, qui sæculo addicti omnes nundinas, omnes tabernas, omnia convivia, ludos, choreas, uno verbo omnes caminos perrepunt, et hos tamen culpa vacare credemus? *Nonne bene dicimus quia Samaritani sunt*, et decipiant se ac confessarium? Communis multorum responsio est: Nescio me in aliquo deliquisse. Sed ita etiam respondit Cain a Deo interrogatus, ubi esset Abel frater ejus. Addit Josephus, lib. I. antiq. cap. II. abdidisse eum, se quoque demirari, qui factum sit, quod frater nusquam compareat; cum tamen occisum fratrem abdidisset, rem clam fore existimans. Cainum ergo imitantur, qui velo ignorantie contingunt, aut oblivione sepeliunt peccata sua, dum ea pro nihilo habent; ideoque post tergum suum rejiciunt, vel dum non perquirunt adhibito examine, sed mox absque omni prævia discussione ad confessarium currunt. Crassa vel affectata, adeoque voluntaria est hæc ignorantia: *Nonne ergo bene dicimus, quia Samaritanus es, etc.*

III. Satisfactio in pondere facienda est, idque docemur Ezech. V. ubi præcepit Deus prophetæ, ut sumat acutum gladium seu novaculam, et abradat pilos capitis sui, sumatque stateram ponderis, ad ponderandos scilicet capillos, et in tres æquales partes dividendos, ut explicat Hugo Card. dum ait: « Tertiam partem igne combures in medio civitatis, tertiam partem concides gladio, tertiam vero reliquam disperges in ventum et gladium nudabis post eos. » Quibus verbis ad litteram prædicit Jerosolymitanis cladem per Chaldaeos inferendam, qua de civitate exterminandi sint velut pili de capite rasi; eorum tertiam partem peste et fame, tertiam gladio hostili absumendam, tertiam dispergendam per fugam, quam tamen gladio Nabuchodonosoris persecuturus sit. Mystico vero sensu pili sunt peccata, quia ut illi de capite, ita hæc de corde exeunt,

Domino teste, Matth. XV. Raduntur vero in confessione per absolutionem sacerdotis quasi per acutam novaculam. Porro abrasa ponderanda sunt statera satisfactionis, ut pro gravitate delictorum acceptetur et persolvatur pœnalis aliqua compensatio præteritorum delictorum, *Ut unusquisque tanto majore acquirat bonorum operum lucra per penitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam*, inquit, S. Gregor. hom. XX. in evangelio. Pars itaque pilorum seu peccatorum exurenda est igne orationis; pars vero concidenda gladio jejunii, flagelli et aliarum mortificationum; pars alia dispergenda in pauperes per eleemosynam: quæ sunt tria satisfactionis opera, peccatis proportionata. Qui enim alia in Deum, alia in nos ipsos, alia in proximos committimus, par etiam est ut omnibus reddamus quod debemus, humilitatem Deo per orationem; disciplinam et castigationem nobis ipsis per jejunium; misericordiam proximo per eleemosynam. Et quia offendimus Deum anima, corpore, bonis externis; satisfaciamus eidem oratione, jejunio, eleemosyna, velut de bonis animæ, corporis et fortunæ. Ad extremum gladius post peccata nudandus, quo modo Deus per angelum *expulit* (ita habet vox Hebræa, Genes. III.) e paradiso Adamum et Evam flammeo gladio, ne ad eum aliquando redirent. Ejicienda inquam peccata maximo conamine et mediis adhibitis, ut in posterum ea non admittas in cor tuum. Neque enim satisfactio solum compensare debet debita contracta, sed præterea etiam inolitas vitiorum radices evellere, et a futuris lapsibus hominem præservare, veluti diæta convalescenti præscripta, ut reliquias morbi tollat et relapsum arceat.

Jam vero quomodo plerique satisfaciunt peccatis? Fugiunt aliqui eos confessarios, qui severiores esse dicuntur in penitentibus injungendis; plerique amant leves subire pœnas, quod cum sciant confessarii, rara imperant jejunia, rara cilicia et flagella, raras eleemosynas, oratione pleraque expedire coguntur. Sed videat unusquisque an talis satisfactio peccatis suis commensurata sit; mittat hæc in unam et illam in alteram lancem, ac ponderet utraque, comparetque inter se. Itane unum Miserere vel unum rosarium adæquabit pondus decem vel plurium lethaliū peccatorum? Unum jejunium tot ebrietates? Una eaque exigua eleemosyna tot rapinas et usuras? Una disciplina tot libidines? Videat deinde an opera satisfactionis proportionata sint delictis, adeoque congrua pharmaca ad curandas plagas et tollendas morbi radices. Videat an peccandi occasiones fugiat, aliaque adhibeat

media ne facile in peccata recidat. Et quam multis dici posset: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es: nimis inquam, delicatus, nimis impatiens, et majorem debitorum partem insolutam relinquis, ac differs in purgatorium? Nonne bene dicimus, te non ex integro sanatum esse, qui tam cito relaberis? Si vere te penitui, remove illos lapides, in quibus impigisti: fuge choreas et tabernas; ejice e domo pellicem; abjice leviculum vestium novarum luxum; restitue lucra illicita; tolle inimicitias et reconciliare fratri tuo. Hoc est quod dicebat Deus populo Hebræorum, post idololatriam jam pene reconciliato: *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*. Ornatum intelligit illum, quo populus lætabundus erat indutus, quoque exornatus vitulum aureum adoraverat et profanum festum egerat; ut eo nudatus quasi ad plagas excipiendas se aptaret, ut exponit Hieron. ab Oleast. Exod. XXXII. Hoc, quod S. Remigius archiepiscopus Remensis dicebat Clodovæo Francorum regi converso et jam ad baptismum se inclinanti: *Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti: incende quod adorasti*. Hoc est, Christum adora, cujus ecclesias paganus incendisti; incende idola, quæ tunc adorasti, Joan. Trithem. l. I. comp. annal. Hoc quod S. Hieronymus præscripsit Susannæ virgini lapsæ, epist. XXII. « Imprimis, inquit, omnis vitæ cura intermittenda est tibi, et quasi mortuam te existima, sicut es; quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, et mens, et membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui luxuriæ occasionem præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam erubuit impudice; totum denique corpus injuriis et jejunii maceretur, cinere aspersum, et cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescens tamquam cera, in jejunii inquietans seipsum, et cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia in membrum corporis cum haberet dominationem, malum gessit imperium. Talis actio penitentia, si fuerit perseverans, audebit hic sperare, si non gloriam, certe pœnæ evacuationem. »*

Atque hæc est ratio, auditores, penitentiam agendi; quæ nisi observetur, non video quomodo defendere possimus thesin illam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Imo vero graviter metuendum nobis, ne audiamus non Judæos, sed Judæorum regem dicentem nobis: *Nonne bene dico ego, quia Samaritani estis et dæmonium*

habetis? Quod ne audiamus ibi, agamus hic penitentiam, qualem a nobis requirit ipse, qui vere penitentibus dat in hoc sæculo gratiam, et in illo gloriam.

CONCIO III.

MOTIVA CONTRITIONIS EX PARTE EORUM, QUI PECCATO OFFENDUNTUR.

I. Arguit peccatorem Deus. — II. Arguit Christus. — III. Arguit proximus. — IV. Arguunt omnes creaturæ.

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. VIII.

Gen. XLIV. legimus Josephum, postquam fratribus suis (a quibus nondum agnoscebatur) saccos frumento implevisset, præcepisse dispensatori domus suæ ut scyphum suum argenteum in sacco Benjaminici clanculum imponeret, postmodum vero abeuntes insequeretur, et argueret quasi domino suo scyphum furati essent. Fit ut imperatum. Assequitur discedentes œconomus et ablatus scyphi arguit. Qui omnes indignabundi innocentiam suam jactant, ideoque mox saccos suos de jumentis solvunt et singuli aperiant. Repertus igitur in sacco Benjaminici scyphus, moxque consternati fratres omnes sciderunt vestimenta sua et oneratis rursus asinis reversi sunt ad Josephum. Quis hic sensus illis, et quantus timor fuerit, quis non facile divinabit? Sed dum coram Josepho culpam agnoscunt suam licet innocentes, humanissime accepti et fratres ab eo salutati sunt. Videtur mihi hoc ipsum facere in presenti tempore verus noster Joseph et salvator Christus, non quia nobis fictum impingat furtum, sed quia optime norit, nos revera in saccis conscientiarum nostrarum gestare furta peccatorum, quæ culpa nostra contraximus. Quoniam igitur ipse nos hoc præsertim tempore ad se revocare et in amicitiam suam recipere contendit, mittit dispensatores Ecclesiæ suæ, confessarios videlicet, ut singulorum saccos perlustrent et conscientias rimentur. Quis autem nostrum dicere potest se in sacco suo nullum habere furtum? Quis cum Christo audeat dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quam primum enim nos arguet Joannes, qui I. epist. c. I. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*. Reliquum est igitur, ut nos quoque scindamus cum fratribus illis non quidem vestimenta nostra, sed corda, quemadmodum Joel, c. II. ait: *Scindite*

corda vestra, et non vestimenta vestra. Scindamus, inquam, per veram contritionem et cordis compunctionem, et cum hac contritione revertamur ad Salvatorem nostrum per oris confessionem, quo et ipsi mereamur ab eo recipi in optatam amicitiam. Sed quoniam plerique ad instar fratrum illorum culpas suas non agnoscunt, ideoque nullos queunt elicere contritionis motus, arguam eos et statuam, Deo adjuvante, contra faciem illorum, ut sic intelligant quam gravis et deploranda res sit peccatum.

I. Arguit te Deus, in quem principaliter peccasti, cui gloriam et coronam regni quodammodo abstulisti, ac proinde injuriam omnium maximam intulisti. Quæris quomodo hoc feceris? Audi. Nonne tu quando contra Dei expressam voluntatem et præceptum creaturæ adhæristi, eam super omnia coluisti, Deo præposuisti et in ejus solio collocasti, nonne hoc ipso Deum legitimum regem tuum de solio suo exturbasti, dum ei rebellasti et voluntati ejus e diametro contraisti? Primo enim *Numquid non ipse est Pater tuus qui possidet et fecit et creavit te*, ait Moyses, Deut. XXXII. Quid vero tu sentire, si inscius patrem occidisses, et postea id verum esse comperires? Memini me vidisse Cœniponti in templo Franciscanorum inter alias statuas arte celeberrimas æneam unam alicujus dynastæ, vultu subtristi, hastæ suæ innitentis, qui, ut habet traditio illius cœnobii, dum una cum patre suo aciem duxisset in hostem, casu et inscius in prælio occidit patrem, quem hostem existimarat, utpote armis tectum. Re itaque sibi nuntiata, ad cadaver patris, quem occidisse dicebatur, adduci voluit ut videret, num se ita res haberet. Adductus itaque et patrem conspicatus, præ nimio animi mœrore stans ante parentis corpus et hastæ suæ innixus spiritum exhalavit. O si apertos haberemus oculos ut videre possemus, quis ille sit, in quem peccavimus! Bonus ille filius nulla sua culpa per errorem occidit patrem: at nos scientes volentes, ex malitia Deum Patrem nostrum offendimus. Sed accedit præterea quod Deus quem offendimus sit summus benefactor noster. Unde enim quæso habemus, quod *sumus, vivimus, et movemur*, nisi ab ipso? Nonne terra qua sustentamur, aer quo spiramus, panis et aqua quibus vivimus, sol quo illuminamur, cælum quo protegimur, ignis quo calefimus, mera eaque continua Dei beneficia sunt? Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora, ut dicebat Nathan ad Davidem, II. Regum. XII. Et nihilne te peniteat, offendisse tantum benefactorem? Erubescere, miser, et vade ad leones. Narrat enim Joannes Osorius, tom. IV. concl. I. de renovat. mentis, in Hispania